

Quam immensos Vir hic summus labores susceperit, quibus Solis Theoriam sibi examinandam, stabiliendamque sumpserat, videre licet in **Actis** celeberrimis **Illustr. Reg. Scient. Academiæ Paris.** ad Annos 1749. 1750. 1752. & fusissime juxta, ac solidissime ad Annum 1757, ubi singulorum Elementorum observationes, calculos, atque correctionum rationes candidissime, ut solebat semper, & nitidissime proposuit. Juverit necessitatem novas à se condendi Tabulas strictim exponentem ipsummet audire Virum summum, ita ad Tabulas suas Solares Anno 1758. Parisiis editas præfantem:

„ Inter Tabulas Astronomicas, quam necesse sit Solares præcisione sua longe præstent, non est, quod apud peritos pluribus disseram: nec enim assignanda temporum momenta certo investigare, nec, ut sæpe fit, observatas Planetarum ascensiones rectas certo designare, nec ullas orbium cœlestium dimensiones certo definire datur, nisi quatenus certi sunt, qui necessario adhibentur, Solares numeri. Qua in re Uranophilis nemo adhuc ex voto potuit satis fecisse. Non quod antecessores nostri in hac parte cura caruerint, vel industria sed quia non nisi nostro tempore penitus perspecti sunt effectus tum successivæ propagationis luminis, tum mutuæ actionis cœlestium corporum. Novis itaque æquationibus Theoria Solis adaugenda, novis comprehendenda erat Tabulis. Harum specimen huc affero, neque tamen singulorum particulatim elementorum rationes oratione prosequi libet, quoniam de iis fuse satis in **Actis Regiæ Scientiarum Academiæ** ad annum 1757. egisse mihi videor. Sufficiet monuisse hæc Tabulas ad Meridianum Parisiensem accommodatas, & ad eas Solis observationes exactas esse, quas in fine libri de *Stabilitis Astronomiæ Fundamentis* descripsi.

Hæc Vir celeberrimus, quæ quidem novisse strictim, ad commendationem harum Tabularum peritis Astronomiæ sufficerent; ne tamen nonnullis magis curiosis deessem omnino, paucis complectar, quid singulis in Elementis præstiterit, & quænam sint potissimum capita, quæ harum Tabularum præstantiam manifestam faciunt. Rem ordine